

# TRIBUNAL SUCCURSEN ET SANCTI AEGIDII (Colombia)

## NULLITATIS MATRIMONII

Sententia lata die 17 novembr. 1956, coram  
il.mo Dn. IOSEPHO MICHAËLE PINTO, *Ponente*  
(ob homosexualitatem viri)

SPECIES FACTI (omittitur)

IN IURE.

“Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae dirimit” (can. 1.068 § 1).

*Impotentia coëundi* de qua unice agendum, habetur quoties sive ex parte viri sive ex parte mulieris vel ex utroque aliquod impedimentum obsit quod copulam coniugalem impossibilem reddat (S. R. Rota, 30 Januarii 1946: Decisiones, vol. 38, pag. 92).

Impotentia alia est *organica*, alia vero *functionalis*. Prima ex ipsa conditione anatomica apparatus genitalis vel illorum organorum atque structurarum quae de facto in hunc apparatus influxum exercent provenit; altera vero, ex causa physiologica vel psychica cui tamen nulla ratio sufficiens organica seu anatomica assignari potest (Cfr. VAN DUIN, “Apollinaris” 23 (1950) pag. 120-121). Unde ex diversa causa functionalis impotentia aliquando *physiologica* aliquando *psychica* nuncupatur.

Jamvero psychica impotentia ex parte viri vel ex absentia desiderii sexualis, vel ex defectu erectionis vel ex defectu eiaculationis provenire potest.

Ut impotentia matrimonium dirimat debet esse:

- a) *antecedens*, i. e. ante matrimonii celebrationem existens;
- b) *perpetua*, i. e. mediis licitis nec graviter periculosis incurabilis.

*Homosexualitas* (uranismus in viro, sapphismus in femina) est psychica anomalia in sexuali inclinatione erga proprium sexum consistens. Distinguenda est homosexualitas facultativa et obligatoria;

Homosexuales *facultativi* sunt illi qui sive erga proprium sive erga oppositum sexum sexualem inclinationem experiuntur (bisexuales);

Homosexuales *obligatorii* sunt qui solum erga proprium sexum sexualem inclinationem experiuntur, nam circa oppositum vel nullam inclinationem sexualem vel potius positivam aversionem sentiunt.

Sexualis inclinationis criterium est psychogena erectio.

*Utrum homosexuales impotentes sint* in sensu canonis 1.068, disputatur.

Nuperrime R. P. Gerardus Oesterle, abstrahendo a quaestione impotentiae, conatus est demonstrare homosexualem incapacem esse consensui matrimoniali praestando ob sequentes rationes:

1.<sup>o</sup>—Homosexualis incapax est tradendi et acceptandi ius in corpus perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (quod est obiectum matrimonialis contractus), nam invincibiliter ad actus contra naturam trahitur.

2.<sup>o</sup>—Homosexualis matrimonium init cum proposito et intentione formali excludendi obligationem suscipiendi prolem (quod est matrimonii finis primarius).

3.<sup>o</sup>—Homosexualis positivo voluntatis actu excludit unitatem, quae est essentialis matrimonii proprietas, nam adulterio sodomia aequiparatur (Cfr. "Revista Española de Derecho Canónico" 10 [1955] páginas 7-60).

Sed tam generale assertum admitti nequit, nam:

a) Ut iam supra visum est, homosexuales qui bisexuales nuncupantur sive cum proprio sive cum opposito sexu sexuales actus exercere possunt. Ergo non invincibiliter ad actus contra naturam trahuntur.

b) Etsi casus pathologici dentur, in quibus homosexualis invincibiliter ad actus contra naturam trahatur, attamen, ut ipse Oesterle fatetur, "forsam maior pars delinquentium est culpabilis... Datur homosexualitas libera voluntate suscepta et exercita" (O. c. pág. 26). Ergo hi homosexuales possunt perpetuo et exclusive se obligare ad actus per se aptos ad prolis generationem, licet luctare et aliquando acerri-me contra pravam inclinationem debeant (Cfr. MORR, MARKAR-MARKAROFF, POSPISIL-KAISERSCHWERT, *Ehenichtigkeitsgründe*, S. 26). Immo, licet habeant voluntatem non adimplendi, si tamen voluntatem habent contrahendi et sese obligandi, valide contrahunt.

Iam antea Albertus NIEDERMEYER, in Vindobonensi Universitate pastoralis medicinae professor, haec docuerat:

Cum de obligata homosexualitate agitur et demonstrari potest homosexualismum ante matrimonium apparuisse et numquam erga op-

positum sexum inclinationem exstitisse, matrimonii nullitatis declaratio, allegata impotentia, adhuc relative facile obtinetur. At si de facultativa homosexualitate agitur (in dictis bisexualibus) matrimonium consummari valet et est inde indissolubile. Tantum separatio quoad torum, mensam et cohabitationem obtineri valet (*Handbuch der speziellen Pastoralmedizin*, Band I, 1953, pg. 257-258).

Clarissimus auctor matrimonii nullitatem in primo casu affirmat sententiae innixus iuxta quam haec homosexualismi forma est organogenica et ideo innata, immo incurabilis. Eamdem theoriam organogenicam professi sunt K. H. Ulrichs, R. von Krafft-Ebig, Magnus Hirschfeld, I. Bloch, Th. Lang, A. Weil et alii.

At recentiores, praesertim psychoanalistae, priorum rationibus nullo pacto convicti, homosexualitatem tanquam psychogenicam perturbationem habent. Ita S. Freud, Stekel, Adler, Binet, A. Moll, A. Brill, Th. Moore, E. Carp, E. Allen aliique.

Quoad curabilitatem, contra illos auctores ut Hirschfeld et H. Blüher, qui homosexualitatem semper incurabilem habebant, hodie maior doctorum pars curationis spem fovent.

Qui organogenicam theoriam propugnant physica remedia praesertim adhibent, sed exitus obtentus hucusque mediocris fuit. Qui psychogenicam theoriam profitentur de curatione aliquando usque ad bisexualitatem, aliquando etiam usque ad heterosexualitatem ope psychotherapiae obtenta frequenter loquuntur. Fatentur tamen curationem a pravi habitus duratione, ab aetate patientis et a vero sanationis obtinendae desiderio multum pendere. At haec iam ad excludendam incurabilitatem videntur sufficere (Cfr. VANDER VELDT-ODENWALD, *Psiquiatria y Catolicismo*, 1954, pág. 424-428; Centre d'Etudes Lahennec, *Les états intersexuels*).

Igitur, a iurisprudencia sequenti modo statuta a S. R. Rota non videtur recedendum: "In causis autem impotentiae functionalis sunt vitia venerea, inter quae sodomia. In specie quod ad ignominiae passionem attinet, qua quis ad eundem accedit sexum, caveantur placita quorundam qui propugnant inversionem istam nihil aliud esse nisi effectum instinctus alicuius ingeni, seu impulsus physici, morborum, invincibilis, ideoque perpetui. Ut autem in foro externo quoad impotentiam recte expendantur perversiones appetitus sexualis et inversio de qua in praesenti casu agitur, ab omni generali iudicio absteineatur oportet, et singulos casus sedulo perpendantur. Enimvero penes istos qui in masculos turpitudinem operantur, non semper iidem sequuntur effectus, ut sunt signa in corpore ac frigiditas, seu aversio et repugnantia ab altero sexu; quae si accidat, non necessario secumfert incapacitatem plenam aut perpetuam ponendi copulam et prolem suscipiendi" (Decis. 16 februarii 1940: Decisiones, vol. 32, pág. 143).

At, si matrimonium nullum demonstrari nequeat, probata matri-

monii inconsummatione ad normam can. 1975-1981 et Regularum edictarum a S. Congr. de Sacramentis, die 7 maii 1923, exstante iusta et proportionaliter gravi causa, vinculi dissolutio a Sede Apostolica impetrari potest (can. 1.119).

IN FACTO (Omittitur).

IOSEPH MICHAËL PINTO *Ponens*  
CAROLUS A. GRIMALDOS  
ALOYSIUS R. SERRANO